COLV[illegible] THEBA
HE[illegible] [illegible]PTVS.

IANO PELVSI[illegible] [illegible]OTONIATA

INTERPRETE.



Parmæ Typis Erasmi Viothi. M. D. XCII.

Permissu Superiorum.

AD LECTOREM.

Duos poëtas quos Latio dedi
In urbe Roma nuper, in ædibus
FARNESIANIS, docte paruo
Lector in hoc releges libello.
Alter Lacænæ virginis innuit
Raptus: dat alter diruta Pergama
Dolo Sinonis, & peremptas
Cum Phrygibus Lycias cateruas:
Ardere credas mœnia Dardani,
Troasq; cædi non sine sanguine.
Nam bella Mauors atque pugnas
Fulmineo moderatur ense.
Raptam parentem perfido ab hospite
De nocte, noscens Hermione gemit,
Pectusq; tundens ægra pugnis,
Vngue secat sine lege crines.
Mandata patri post volucrum gregi
Ferenda Atridæ donat inaniter:
Plaudente nam plebe, & senatu,
Accipitur Paridis rapina.

RANVTIO FARNESIO PARMÆ, ET PLACENTIÆ PRINCIPI SERENISS.

IANVS PELVSIVS Crotoniata felicitatem.

MITTO ad Celsitudinem tuam Coluthum,& Tryphiodorum, poëtas elegantissimos, quorum alter pura, & insigni breuitate agit de Pelei & Thetidis nuptijs, de pomo Eridis, de iudicio Paridis, ac tandem de profectione eiusdem in Græciam,& raptu Helenæ. Alter tanquam eximius pictor ita suis coloribus excidium Ilij describit, ita significanter, & artificiose ob oculos ponit, vt qui legit, non iam librum legere, sed rem ipsam spectare videatur. Vtrunq; nos vnius mensis spatio vertimus, sensum de sensu exprimentes: nam si carmen carmini aut verbum verbo redditum fuisset, videres (inquit ille) ordinem ridiculum,& poëtas eloquentissimos vix loquentes. Multis ego rationibus adductus, has meas versiones tibi nuncupare volui: primum vt cuiusq; loci, atq; ordinis homines intelligant, me non immemorem esse beneficiorum, quæ olim OCTAVIVS auus tuus Dux Serenissimus Ducũq; omnium quos terra nutrit vt liberalissimus, ita & iustissimus, tua potissimum causa in me contulit: deinde vt vetustissimi, & clarissimi poëtæ tui nominis auspicio,& authoritate, quæ est longe amplissima, grauissimaq;, alijs quoq; Principibus commendatiores essent: & viri in vtraq; lingua

laudatissimi, cui emerendi fauoris gratia, eos in ore, & manibus magis assidue haberent: Momi vero qui vbiq; locorum multi sunt, nostros conatus maledico dente rodere vererentur, quum te mei acerrimum defensorem paratum fore certo scirent: postremo ne Musæ mihi iratæ fierent, si qualescunq; essent hæ vigiliç, alijs Heroib⁹ potius quam tibi dicarentur: qui Musas, Musarumq; cultores in summo pretio habeas, poëtarum lectionibus mirifice delecteris; & me non solum vt preceptorem plurimi facias, sed etiam vt parentem obserues, & venereris. Suscipe igitur hilari fronte Serenissime Princeps preceptoris tui amoris, atq; obseruantię monimentum, & si Celsitudinis tuę meritis non respondet, tandiu illud quæso apud te manere sinas, quandiu parodię, & imitationes nostræ in odas, & Epodos Horatij: Flacci in tuo nomine appareant: quę annuente Deo, propediem in lucem edentur. Ceterum ne quis amusus, aut iniquus censor Pelusium ineptum, ac parum sapientē proclamet, qui hos libellos tibi muneri mittere non dubitauit. Quicunq; is est, qui de me ita sentit, sciat, me quę facio, recte facere, & vtrunq; vatem & à religione, & sanctitate tuorum motum non alienum videri. Nam si alter de bello tractat, nihil ego Principibus magis conuenire arbitror, quam pręter religionem, iustitiam, munificentiam, & pietatem, Martis opera nosse, & rei bellicę peritos esse. Ex altero vero tua multo maior, quam illa Scipionis continentia discit, quam turpe, & flagitiosum sit; Duces, Reges, & cęteros huiusmodi Proceres dedere se Venereis libidinibus, & alienas rapere vxores. Quando ex raptu Helenæ Ilium vrbium Asiæ nobilissimum euersum sit, & ciues partim cęsi, partim in serui-

tutem

tutem abducti. Christum Deum Opt. Max. supplex oro, te perpetuo seruet incolumem: semper vero protegat, & defendat Patrem tuum, Ducem Serenissimum, & inuictissimum: cuius quando ab ipsa infantia vestigia sequeris, illumq; in belli, & pacis artibus tibi imitandum proponis, spero, ac confido potius, te aliquando (si vnquam se offeret occasio) parem, ne dicam maiorem rebus bene gestis bello laudem, & gloriam tibi comparaturum. Vale. Romæ ex ædibus tuis. Kal. Iunij M. D. LXXXXII.

AD RANVTIVM FARNESIVM Parmæ, & Placentię Principem Serenissimum.

Princeps RANVTI *consilio, & manu*
Aetate nostra qui superas Duces,
Quot dia virtus, atque sancta
Relligio super astra tollit,
Graios poëtas accipe, quos tuus
Ianus Latinos fecerat antea
In vrbe Romuli Quirini,
Non sine peruigili labore:
A primo, & imo limine perlege
Nostras papyros & medio, tuis
Pol charta nulla, parsq; nulla
Laudibus eximijs carebit:
Me namq; totum numinibus tuis
Olim dicaui non sine Pallade,
Phœboq; : qui me in vrbe Roma
Vatibus inseruit Latinis.
Dicende terris orbis in omnibus
Et Mantuana, & Mæonia tuba,
Si noster hic stylus placebit,
Sæpe mei calami labores.

Dicent salutem: siue ter impium.
Regem lacesses prælio, & hæresim
Procul fugabis: siue Musas
Lesbiacam ad citharam vocabis.
Vt ipse laudis præco tuæ ferar
Orbis per oras Sol habitabilis
Quas occidens, surgensq; cernit,
Vectus equis per inane anhelis.
Sic ipse mecum fortis, & hostium
Victor fereris, qua Boreas strepit:
Qua sufflat Auster: qua negatur
Pagus Hyperboreis colonis.
Sat occupato Calliope Duci
Marti, & duellis, versibus obstrepis,
Fac apprecor finem canendi,
Atq; meum celebra DVARTEM.
Cum lacte matris qui didicit nouem
Amare Musas: & patria vice
Placentiæ, Parmæq; ciueis
Arbitrio regit vnus æquo.

De Paride.

Captus amore Paris Spartanæ virginis, armat
Naueis, & Veneris numine fretus abit.
Sponte sua sequitur Paridem Ledea puella,
Abrumpens sancti fœdera connubij.
Flagitium hoc cupiens vlcisci maior Atrides,
Armato complet milite mille rates:
Pergamaq; expugnans bis quinos fraude per annos,
Dat fratri vxorem: victor & inde redit.

Admonitio.

Alterius ne quis rapiat cum classe maritam,
Exemplum est Helenæ captus amore Paris:
Ad quem de formæ certantes munere, ad Idam
Venerunt quondam Iuno, Minerua, Venus.
Sed luit infelix longo post tempore pœnas,
Sub patriæ cæsus mœnibus ante suos.
Nam soror alma Iouis cui vincla iugalia curæ,
Non patitur lædi fœdera sancta tori.

CO-

COLVTHI THEBAEI

HELENAE RAPTVS.

IANO PELVSIO CROTONIATA INTERPRETE.

ARGVMENTVM.

Ad Pelei & Thetidis non accersita Hymenæos
Eris, Diuorum iacit in conuiuia pomum.
Lis oritur Diuas inter, sed Iupiter ipsas
Ad Paridem mittit: ducit Cyllenia proles.
Dardanus auxilio Veneris Lacedęmone Troiam
Classe vehit męchus forma præstante Lacænam.
Conqueritur Cassandra nefas, & virgine rapta
Nuntiat exitium Priami, Troiæq; ruinam.

TROIANAE *Nymphæ Xanthi diuina propago,*
Quæ capitis vittas, & ludicra sacra lacertis
Detracta, in ripis liquistis sæpe paternis,
Et lętæ in choreas sacrã ascendistis ad Idam,
Egressæ fluuium longe lateq; sonantem,
Iudicium narrate mihi pastoris, & vnde
Ad pelagus venit, pelagus, pelagiq; labores
Ignorans? quæ causa rates fabricaret in Ida?
Quæ mare, quæ terras tam longo tempore, bello
Concuterent? quænam contentio tanta, bubulci
Dicere vt auderent ius immortalibus? & quod
Hoc fuit examen prauo sub Iudice? & vnde
Argiuæ Nymphæ cognouit nomen? ad vmbras
Idæas etenim Diuas vidistis abire,
Atque Parin solum tacita sub rupe morantem,
Et Venerem Charitum reginam pectore læto.
Quum cantarentur Pelei de more Hymenæi
Aemoniæ celsis in montibus, altitonantis
Mandatis, Phrygius fundebat pusio vinum,
Pusio formosas superans pulchredine Nymphas,
Cunctaq; sanctorum properabat natio Diûm

Vifere grandæui prognatam ſanguine Nerei,
Progeniem ſuperis parituram viribus æquam.
Iupiter è cęlo, Neptunus ab æquore venit,
Ex Helicone chorum Muſarum duxit Apollo,
Quem ſoror, & coniux Iouis eſt Dea Iuno ſecuta.
Nec Venus Harmoniæ mater, reginaq; pollens,
Ire recuſabat gemini Chironis ad ædes.
Nectere ſponſalem ſponſæ Suadela coronam
Quæ ſolet, & pharetram vacuare cupidinis, vna
Cum Venere acceſſit pulchris comitata puellis:
Ipſa quoque abiecta galea Iouis orta cerebro;
Quamuis nec thalamos, nec talia gaudia norit,
Dedignata tamen non eſt ſpectare choreas,
Et coram fari cum ſponſa, & tangere dextram.
Nec tu ſyluarum cultrix, licet acrior eſſes,
Atque inimica toris, ſpreſti Latonia virgo,
Rupe ſub Aemonia ſaltantes cernere Nymphas,
Et citharæ ad crepitum iuuenes impellere terram
Alternis pedibus, cantusq; effundere in auras.
Mars qui Vulcani ferratus venit ad antrum,
Et galeam æratam quatiens, haſtamq; minacem,
Nunc ſine thorace, & gladio, ſub fornice curuo.
Phillyridæ, blandum ridens, ſaltabat amator,
Nunc has, nunc illas ſuſpirans corde Napæas.
Bacchus vbi implicuit maturis tempora botris,
Exhibuit Zephyro flauos diffundere crineis:
Pone ſequebantur Dryades, Satyriq; bicornes.
A Pelei & Thetidis Diſcordia ſola choreis,
Et menſis aberat, ſponſalia ad iſta bimembris
Illam etenim Chiron non inuitarat, vt eſſent
Læta magis ſine ſanguineis conuiuia rixis.
Vnde dolens ſibi præponi ad conuiuia Nymphas
Aequoris, & turpes, ſyluarum numina faunos,
Se negat eſſe Deam dignam cęleſtibus aulis,
Ni prius Heſperio quam tingant æquore currum
Solis equi, hoc tantum opprobrium non vindicet. ***Autem***
Qualis ab herboſo decedit bucula campo,
Et nemora, & ſaltus œſtro furiante peragrat:
Talis aduſta latus duris Diſcordia flagris

Errabat,

Errabat, secum voluens, conuiuia Diuûm
Quo posset turbare modo: de sede resurgens
Sæpe leuis stabat; rursusq́, sedebat in illa:
Demisitq́, manum terræ furiosa cauernis,
Non tamen inuenit lapidem. Namq́, ipsa volebat
De silice armatum flammis elidere fulmen,
Ducere & è Stygijs tenebris Titanas in auras,
Illorum auxilio, & monstrosa mole Gigantum,
Frangeret vt cęlum, fulgentia regna Tonantis.
Sed quamuis irata foret nimis, & nimis ardens
In Peleum rabie, fido parebat amico
Vulcano tamen artifici penetrabilis ignis.
Deinde animo secum fanda, atque infanda volutans,
Decreuit (Furijs tandem instigantibus vltro)
Edere scutorum vicina per oppida, & vrbeis
Horrisonum strepitum, Diui si forte pauentes
Illinc diffugerent, choreis mensisq́, relictis.
Consilium sed enim longe præstantius isthoc
Repperit, insani metuens fera prælia Martis.
Namq́, illi subijt mentem celeberrimus hortus
Hesperidum, vigilis coluber quem seruat, & idem
Aurea mala parit, gratissima dona puellis.
Hinc belli germen carpens lacrymabile pomum,
Cuius in auricomo signarat cortice, tantum
Pulchrior hoc habeat formæ sublime trophæum:
Inter Cęlicolas inuenit iurgia Diuas.
Namq́, manum extendens, pomum in conuiuia iecit,
Principium tanti certaminis, atque tumultus,
Turbauitq́, Deas, & mensæ dona secundæ.
Iuno Iouis coniux tedis elata mariti,
Hoc sibi poscebat pomum stupefacta nitore.
Deliciosa Venus tanquam præstantior esset
Omnibus, hoc etiam quod erat possessio amorum;
Atque suis dignum manibus, cupiebat habere.
Exoptabat idem doctrina, & robore Pallas
Ante alias omneis longe celeberrima Diuas,
Cum Superis quot tecta tenent stellantis olympi.
Iupiter aduertens lites, rixasq́, Dearum,
Talibus alloquitur formosa Pleiade natum.

Quando

Atq; arcum intendo, celeresq; emitto sagittas?
Vnde meo puncti iuuenes, æstroq; puellæ,
Non obeunt, sed præda iacent pœnæ, atq; dolori.
Insignis forma, & rosea ceruice refulgens
Mercurij Cytherea sequens vestigia, natis
Hæc mandata dabat. Nati parere parati,
Firmabant animum matri, & dextra, atq; sinistra
Illius hærebant lateri. Cyllenius ales
Interea celsum culmen superauerat Idę,
Transieratq; vadum, qua voluitur vnda Scamandri.
Tunc Paris egregius iuuenis semotus ob omni
Pastorum cætu, ad ripas pascebat Anauri
Lanigeras pecudes, taurorum armenta seorsum,
Atq; ouium fœtus numerans: suspensa capellæ
Montanæ tergo pellis pendebat ad vsque
Molle femur: vitulos sed quo stimulare solebat
Pastorale pedum, per florea prata iacebat.
Sic Paris existens, dulcem tamen atque suauem,
Agrestem quamuis fundebat arundine Musam.
Sæpe etiam in stabulis cantu oblectatus inani,
Taurorum, atq; ouium curam neglexit, & hædos.
Vnde leuem gestans pastorum more cicutam,
Mercurio, & Pani properabat dicere carmen.
Nullus in ore canum latratus, nullus in ore
Taurorum mugitus erat, ventiq; quierant:
Sola Echo cantus, vocisq; ignara canoræ,
Ingratum resonans, Idæ de valle strepebat.
Vaccæ autem & tauri saturi florentibus herbis,
Ducebant somnos inter virgulta, recumbens
Ipsa super natibus ceruix, pastoris auenam,
Et teneros cantus pariter temnebat. opaca
Dum sic Priamides modulatur carmen in vmbra,
Mercurium procul aspexit, Diuasq; sequenteis,
Exilijt, metuens oculos, atq; ora Dearum,
Depositisq; suis calamis sub fronde virenti,
Interrupit iter tam dulce canentis auenæ.
Ergo hominem aspiciens sic corde, genuq; trementem
Mercurius solers, dictis compellat amicis.
Pone precor Pari corde metum, taurisq; relictis,

Atque ouibus, propere huc adsis, ius ore Deabus
Dicturus, quas ipse tibi Saturnius æqui
Iupiter exeso mittit Chironis ab antro.
Aggredere hanc causam corruptus munere nullo,
Atque hac iudicium faciens in valle, videbis
De tam lite graui sententia iusta feratur.
Lustra ergo ad speciem quæ spectant lumine Lynceo.
Quæ sit membrorum series, quæ forma sit oris,
Pes breuis, an magnus: procera, an curta venustæ
Corporis: an geminæ tumeant in pectore mammæ:
Et nigri, an flaui crines: ac cętera tandem,
Quæ lingua ingenuo reticet detenta pudore,
Dein tu quam reliquis forma præstare videbis,
Hoc illi pomum, laudabile germen habere
Da quoque, præcipuum mereat quo frontis honorem.
Sic ait interpres Diuûm. Mora nulla bubulcus
Corde metu posito, considerat omnia visu,
Singula quæque notans: oculos fulgore micantes,
Atque supercilium nigrum, collumq; rotundum,
Nec non ornatum, qui ipsis veniebat ab auro.
Nec spreuit (talum explorans) vestigia plantæ.
Sed Paridem apprendens facunda Minerua priusquam
Iudicium fieret, placido sic ore locuta est.
Huc age Priamide, Venere, & Iunone relictis,
Sit licet illa Gnidi regina, & mater Amoris,
Hæc vero tedas, & vincla iugalia curet,
Amplexare Deam, rigidis quæ præsidet armis.
Vni aiunt versæ Phrygiæ te sceptra tenere,
Tutelæq; tuæ (sic patre iubente) subesse
Eductam ad nubes Troiam, stellisq; propinquam,
Me sequere haud lentis vadentem passibus, vt te
Chare puer doceam, qua possis arte domare
Hosteis, & patriam dura obsidione tueri,
Ac tibi ne possit Bellona irata nocere.
Consilijs, monitisq; meis parere Mineruæ
Disce modo, bellum te cum virtute docebo.
Hæc Pallas sapiens est cum pastore locuta.
Tum sic excepit sermonem regia Iuno.
Iudicio si nostra tuo spectabile germen

Stringet

Stringet dextra, potens ego te regina Deorum,
Et soror, & coniux Iuno Iouis altitonantis,
Nostræ Asiæ regem statuam, dominumq; potentem,
Diuitiasq; dabo, quot nunquam Lydius heros,
Aut Mida possedit, populi rex diues, & auri:
Belli opera, & strages hominum contemne: quid autem
Hæc regnatori terrarum munera prosunt?
Imperat ignauis rex namq; & fortibus æque:
Nec semper Martis, sectatoresq; Mineruæ,
Re bene decedunt gesta, palmamq; reportant.
Adde quod interimit citius Bellona ministros
Sæua suos: Paridi spondebat talia Iuno.
Purpureum nudans Cypris super aere peplum,
Sustulit alma sinum nullo detenta pudore:
Post cestum exonerans, qui tot fundebat amores,
Detexit nitidum pectus, nitidasq; papillas,
Subridensq; , Parin sic est affata bubulcum:
Suscipe (bellorum obliuiscere) suscipe formam
Hanc nostram: imperia, & terrarum despice regna.
Quid tibi diuitiæ? quid opes? quid regna? quid arma
Adijciunt? cuius Phrygiæ sunt ditia sceptra?
Cui pater est Priamus? cui subdita Dardana pubes?
Argenti, atque auri facti, infactiq; talenta
Multo plura domi, quam vellet Crœsus habere?
Belli opera ignoro: quid enim thoracis, & ensis
Est vsus Veneri, quæ tantum curat amores?
Non armis mulier, sed formæ dote superbit,
Et debet tractare colos, & ducere lanas:
Non armare caput galea, nec cincta corusco
Ense latus sæuos inter versarier hosteis.
Ipsa tibi vxorem pro Diuæ Palladis armis,
Et pro Iunonis gazis, opibusq; superbis,
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo;
Quæ specie eximia Nymphas supereminet omnes,
Quot Graiæ peperere nurus, matresq; Latinæ.
Proq; tot imperijs Helenæ conscende cubile,
Quam multi reges, multi cupiere tyranni,
Imperio, & sceptris longe, lateq; potentes,
Atridæ tantum sed fata dedere minori.

Hac lege, & pacto, Paris ut voluentibus annis,
Coniugis e thalamo abreptam, lectoq; iugali,
Auxilio Veneris portet Lacedæmone Troiam.
Te populi dicent omnes vno ore beatum,
Atq; Helenæ cernet post Spartam Troia maritum.
Nondum finierat sermonem, pastor ineptus
Captus amore nouo Spartanæ virginis, almæ
Concessit Veneri donum spectabile formæ,
Europæ, atq; Asiæ belli caput, atq; malorum.
Læta tenens Erycina manu illetabile pomum,
Et partæ ostentans tantæ præconia laudis;
Ambrosio talem fudit de pectore vocem,
Turpibus incessens Iunonem, & Pallada probris.
Cedite mi belli sociæ, iam cedite palmam
Iudicio Paridis victæ, pro parte virili
Splendorem formæ dilexi, splendor & ipse
Me formæ sequitur passim per regna, per vrbes.
Iuno parens Martis multi, multæq; loquuntur,
Te cum fletifero Charitas peperisse dolore,
Deseruere tamen quæ te in certamine tanto,
Vlla nec auxilium tulit implorata petenti:
Et quamuis quoque Vulcani sis lucida mater,
Nil te Vulcani flammæ iuuere querentem:
Nec tulit auxilium Mauors, licet impiger ense
Sæuiat, aduersus hosteis grassetur & hasta.
Quid vero tantum te iactas vana Minerua?
Quam nec connubium seuit, nec teda iugalis,
Nec mater peperit. duri sed sectio ferri
Te sine produxit partu, (impellente securim
Vulcano) Iouis e cerebro? quid fortibus armis
Cincta latus sequeris Martem, & contemnis Amorem,
Expers connubij, tranquillæ nescia pacis?
Arma viri tractent, & Martia castra sequantur,
Ac bellum assidue ducant cum gente profana:
Matronæ varijs intexant lintea formis,
Et versent tereti prægnanteis pollice fusos.
Scis quoque tu Pallas, namq; hoc te scire necesse est,
Quam magis imbelles quoque sint quæ prælia tentant
Fæminæ, & in nullo victrices turbine belli?

Quæ dum multiplici tunica, & Thorace teguntur;
Nemo quidem expensis membris, mihi dixerit, an sint
Præstantes iuuenes, an nullo robore Nymphæ.
Sic Venus insultans, mœstam est affata Mineruam.
At Paris vt Cypris sortita est præmia formæ,
Perniciosa sacræ Troiæ, Iunoq́; recessit
Tristis ab Idæo saltu, comitante Minerua,
Ardebat magno iecur inflammatus amore,
Mente, animoq́; sequens, quam nunquam nouerat ante.
Quid rapere exoptas armato milite sponsam?
Quam nolles rapuisse? tuis gratare trophæis
Dum licet, & sacros monitus contemne sororis;
Lætus abi Spartam, nescis heu perdite nescis,
Quas tecum hinc clades, quantos redeunte tumultus
Classe vehes patri celsæ ad fastigia Troiæ?
Tu quoque formosæ Ledæ formosa propago,
Sponte tua secum fugiens ad Pergama, quanta
Cum cæde, & quanto repetenda es sanguine Graio?
Europæ atq; Asiæ populus bis quinque per annos
Pro te, proque tuo raptu, læsisq́; Hymenæis
Aspera bella gerens, gaudentem sanguine Martem
Cæsorum horribili satiabit strage virorum.
Nil Paris hæc stultus secum cum mente volutans,
Nec trutina expendens, quam fœdum, quamq; pudendum
Hoc facinus foret: vt specie sub dulcis amici,
Hospitis & fidi, famuli dum nocte quiescunt,
Alterius rapere vxorem, cum parte bonorum
Coniugis Atridæ, fabros adduxit opacam
In syluam, gnaros pelagi, naualis, & artis.
Hinc sectæ ferro tangentes sydera pinus,
Aeriæq́; alni, & quercus, non absq; Pherecli
Consilio, belli causæ, authorisq́; malorum:
Nam sibi percupiens venari regis amorem,
Pontigradas puppes ferro fabricauit acuto.
Quas Phrygius postquam compleuit remige ductor,
Ordine quemq; suo statuens per transtra maniplos,
Dum Cereris fruges, & vina rubentia Bacchi,
Ad naues portant nautæ, Simoentis & vndam,
Placauit Venerem patronam in littore sacris,

Votaq́;

Neptuni auxilio ventos sedauit, & vndas,
Dardaniusq; Paris pelago, Zephyroq; fauente,
Deserit Hectoreas terras, & amęna vireta,
Ismarięq; legit non importuna paludis
Ostia: Pangæi subiens quoque littus iniquum,
Aspicit eximium se tollere ad astra sepulchrum
Phyllidis immenso flagrantis amore mariti,
Errantisq; viæ præteruolat enneacyclum,
Cursum velinolis ratibus, nautisq; timendum.
Quem ter iens circum tristis Rhodopëia virgo,
Illæsum, & reducem flebat sine fine maritum,
Demophoon dum te Actæis expectat ab oris.
Deinde per Aemoniam sulcans vada lata profundi,
Occurrere sibi multa oppida gentis Achææ.
Phthia viros forteis pascens, lataq; Mycenæ.
Inde cupressiferi transgressus prata Erymanthi,
Insignem bello, & pulchris Lacedęmona Nymphis
Nouit ad Eurotæ virides considere ripas.
Non procul hinc sylua horrenda, & radice sub ima
Montis, erat Graio populo dilecta Therapne,
Vrbs magnis ornata viris, tectisq; superbis.
Hinc facilis traiectus erat, nimiumq; propinquus.
Ergo omnes læti vertere ad littora proram,
Dein vbi Spartanos iussit saluere penates,
Vicinumq; sinum celsa de puppe magister,
Ad terram expositi, funes de more ligarunt
Littoribus curuis, qui nautica munia obibant.
Palladios ramos prætendens regia puppis,
Ad Spartam venisse Ducem cum pace probabat.
At Paris in puro postquam se flumine lauit,
Atque oleo Diuûm mollissima membra perunxit,
Ibat, suspenso gressu vestigia firmans,
Ne tenui molles fœdaret puluere plantas,
Deq; suo emergens pileo coma flaua capillos,
Perturbaretur vento, si forte citato
Tenderet incessu vicina ad mœnia: iamq;
Externæ circum spectans tecta hospita gentis,
Vrbis splendorem, plateasq;, viasq; stupebat.
In templo vero quod vertice sydera adibat,

Palladis indigenæ statuam mira arte politam,
Atque auro e solido factam miratus abunde,
Vidit ibi effigiem Carnensis stare Hyacinthi,
Quem quia cum Phœbo versari turpiter omnis
Nouit Amycleus populus, dubitauit amanti
Ne Latona Ioui irata, ad sua gaudia furtim
Florentem raperet forma, atque ætate puellum.
Sed sibi riualem Zephyrum non sensit Apollo.
Terra autem regis grandem miserata dolorem,
Produxit florem, tum qui fragraret odore,
Tum quoque qui flentis solamen Apollinis esset,
Florem inquam pueri referentem nomen amati.
Diuina exultans forma Priameius heros,
Iam prope sublimes Menelai stabat ad ædes.
Non Semele talem peperit Thebana puellum,
Parce mihi, sis Bacche licet de stirpe Tonantis:
Namq; Paris quoque pulcher erat de sanguine Diuûm,
Dîs oculis, humeris, atque ore simillimus ipsis.
Hospitij thalamum reserans tunc claue Lacæna,
Transijt extemplo chari consortis ad aulam:
Atque hinc despiciens furtim per claustra fenestræ,
Ante fores illum cum magna stare caterua
Vidit, & aduertit, pernicior alite vento,
Postibus admissum recta ad penetralia duxit,
Iussit & in sella pulchraq; , nouaq; sedere.
Tyndaris infelix oculos satiare videndo
Non poterat Paridem: quanto magis illa videbat,
Ipsa magis tanto crescebat cura videndi.
Nam credebat eum (formæ decepta nitore)
Aligerum Veneris puerum, thalamiq; ministrum,
Sed quoniam faculis, arcu, pharetraq; carebat,
Cognouit tandem quod non foret ipse Cupido.
Sæpe etiam in nitido vultu, facieq; decora,
Formosum vini regem spectare putabat,
Felicem dicens, fortunatamq; puellam,
Quæ tali coniuncta viro, sub diuite tecto,
Secum tranquillæ traduceret otia vitæ.
Tunc monitu matris iaculatus tela Cupido,
Virginis Oebaliæ labefecit pectus amore,

Quæ flammis combusta nouis, percussa sagitta
Molle latus, secum subito suspirat amores.
Dardanio iuueni post longa silentia tandem,
Talem percusso misit de pectore vocem.
Dic hospes genus vnde tuum, quæ patria tellus,
Et qui te talem tanti genuere parentes:
Seu venis huc vltro, seu tempestatibus actus.
Ipse quidem regi similis forma esse videris,
Sed genus, atque tuum nomen non venit ad Argos.
Nec colis ipse Pylon, facundi Nestoris vrbem;
Antilochum noui, tu nunquam visus in illa:
Nec genuit te Phthia parens, altrixq́, virorum,
Omne genus noui præstantius Aeacidarum.
Splendorem Pelei, vires Telamonis, honestos
Actoridæ mores, & magni robur Achillis.
Hæc accensa Phrygis flammis arguta puella.
Ipse Paris blando sic illi reddidit ore.
Virgo Iouis summi, & Ledæ pulcherrima proles,
Cui similis mulier nulla est sub Sole, sub astris,
Illa licet ducat genus alto à sanguine Diuûm,
Extrema in Phrygia positum si fortè loquendo
Ilion audisti, quod muris cinxit Apollo,
Et Deus humentes qui temperat æquoris vndas,
Si felix aliquis Troia tibi notus in vrbe
Rex est, Saturni magna de stirpe creatus,
Hinc genus ipse trahens, præclara insignia gentis,
Et decora alta meæ factis, & moribus orno:
Maximus ac fratrum ciuilia iura guberno.
Sum mulier Priami dilectus filius: autem
Sum tibi Dardanides: Troiæ autem Dardanus author
A Ioue natus erat: lapsi de vertice cęli
Sæpe Dei, ad Troiæ venerunt mœnia, & illic
Dî quamuis essent, atauis mercede soluta
Seruiuere meis: quorum Neptunus, & augur
Veriloquus Phœbus propria miro ordine muros
Erexere manu, ruituros tempore nullo.
Ipse egò sum Iudex pulchra ò regina Dearum,
Iudicio facto, & visis per singula membris,
Monte sub Idęo, (sic Iupiter ipse iubebat)

 Præposui

Præposui Venerem multa cum laude Deabus.
Quæ propter, Cytherea mihi se magna daturam
Præmia pollicita est, formoso corpore sponsam,
Quam dicunt Argiuam Helenen, Venerisq; sororem.
Pro qua sustinui tot flammas, totq; labores,
Et maria intraui tot vasta, & plena periclis,
Hic quoniam Cytherea iubet veneranda, Hymenæos
Cum tacito plausu, & cantu celebremus ouantes,
Pronuba sit nostris thalamis nox cincta tenebris,
Sit paries testis, Lycnumq; extincta lucerna.
Te precor æthereis virgo æquiparanda Deabus,
Nam pudet humanas tecum conferre figuras,
Opprobrio ne me afficias, nostrumq; recuses
Coniugium: non plura loquar: quid cuncta scientem
Pluribus edoceam verbis? tuus ipse maritus
Imbelli quam sit natus, de sanguine nosti,
Et nothus, & regno nequaquam dignus auito:
Nec generat taleis Argiuis Græcia Nymphas,
Qualis es ipsa Iouis proles. Hic namq; puellæ
Exiguo, & tenui membrorum tegmine fultæ,
Masculeam formam referunt, & longius æquo
Fæmineo à Genio distant, atque indole matrum.
Eia age rumpe moram, Priamo paritura nepotes
Atque Hecubæ: te Troia manet: te Dardana pubes
Expectat: fraterq; meus venit obuius Hector.
Sic Paris Idæus pastor. Venus altera Ledæ
Progenies, quæ iam lentum collegerat ignem,
Fixit humi roseum vultum, atque immobilis hærens
Nympha diu, nullam misit de pectore vocem,
Hæc responsa dedit tandem perculsa stupore.
Sæpe tuam volui patriam, quam struxit Apollo,
Et Deus vndosum qui torquet numine pontum,
Illam inquam patriam manuum monimenta Deorum
Aeterna aspicere, & fragrantia pascua Phœbi
Tangere, vbi quondam prope propugnacula Troiæ,
Sæpe boum flauus vestigia pressit Apollo.
Eia age quamprimum Sparta me abducito Troiam,
Te sequar ipsa volens, vt præcipit alma Cythere,
Præses connubij, & geminorum mater amorum.

Coniugio

Coniugio tali deuincta, & coniuge tanto,
Ante alias Nymphas sublimi vertice tangam
Sydereas arceis, humeris quas sustinet Atlas,
Atlas in montem conuersus Gorgone visa.
Nec metuo Atriden, quum se sciet esse relictum,
Et me sponte mea fugisse ad mœnia Troiæ.
Quamuis mille rates cogat germanus, & vna
Nerea conuellat secum Telamonius Aiax,
Et par Tydides Superis, ac maior vtrisque
Aeacides, gentis Danaum fortissimus heros.
Tale iniit pactum Phrygio cum rege Lacæna.
Venerat interea requies nox certa laborum,
Et dulcem attulerat somnum mortalibus ægris,
Suspensum exhibuit quem fulgida nuntia Solis
Tithonum in croceo linquens Aurora cubili:
Namq́; duas eius portas patefecit, aheno
Cardine conuerso, quarum quæ cornea fertur,
Vera quidem nobis affert oracula Diuûm.
Altera quam perhibent factam de secto elephanto,
Et vanas voces, & vana insomnia mittit.
Dum caret excubiis, & consopita sopore
Tota domus iacet in stratis, sua vota secundans
Dardanus, e proprio thalamo, lectoq́; mariti
Atridæ, Oebaliam candenti pectore Nympham
Pontigradas tulit ad naues, prædaq́; potitus,
Quam cupiit, summo contingit vertice cęlum,
Patronamq́; ferens Venerem super æthera: sponsam
Quod sibi pollicitam, dum lis sub iudice pendet,
(Non oblita fidem) dederat sine Marte, sine armis,
Ad Troiam belli properabat ducere molem.
Quum vero emersit roseis Aurora quadrigis
Vecta, fugans terris quas nox inuexerat vmbras.
Hermione abiicens niueum super æthera velum,
Ingemuit, lacrymisq́; sinus impleuit obortis.
Sæpe extra thalamum famulas, fidasq́; ministras
Accipiens, taleis mittebat pectore voces.
O dulces sociæ, & comites, quas nostra frequentes
Huc lamenta trahunt, & singultantia verba,
Dicite quo genitrix abiit de nocte, relinquens

Saeua domi natam, & torpentem membra sopore:
Quae claues heri capiens thalami ostia mecum
Clausit, & ipsa toro mecum dormiuit in vno.
Sic ait illacrymans. Ancillae huc vndiq; tristes
Collectae, blandis verbis cepere gementem
Solari: crebro subdentes . filia noli
Flere, parens abijt procul hinc, reditura dolentem
Audierit quum te: ne plora, atque aspice quantum
Subsidant vtrinque genae: formosa frequenter
Lugentis facies marcescit: splendor & oris
Fit flauae cerae similis, mortiq; propinquat.
Ne fle, ne lacryma, nec te consume querelis,
Aut nitidam conuelle comam, fortasse profecta est
Nympharum ad choreas, atque hic detenta moratur:
Aut errore viae, deflexo tramite, pratum
Iuit ad Horarum; molliq; quiescit in vmbra:
Aut abijt patrio lotura in flumine corpus,
Nunc & ad Eurotae ripas cunctatur amoenas.
Suspirans, imoq; trahens è pectore vocem
Ledea Hermione, contra sic reddidit illis.
Dilectae famulae nostras audite querelas,
Et dominae vestrae luctus miserescite: nouit
Ad montis qua ducit iter fastigia: nouit
Indigetem fluuium: nouit quoque prata: quid autem
Dicitis haec frustra nobis? iam sydera celo
Praecipitant, tamen in scopulis mea mater acutis
Dormit adhuc: iterum surgunt astra ignea celo,
Illa nec ad natam remeat, nec tecta reuisit.
Crudeles famulae, crudelis tu quoque nutrix,
Cur me securo perflantem pectore somnum
Non exegisti lecto? vel voce fugasti
Segnitiem membris? fusumq; per ossa soporem?
Quum sine me patrio e thalamo discederet illa?
Aut vna iuissem secum, aut fortasse querelis
Victa meis, nostra mecum mansisset in aula.
Quis mea te genitrix vasti tenet angulus orbis?
Quosue colis montes? an te per tesqua, per amnes
Errantem fregere ferę? ferę at horridae, & hirtae,
Non didicere Iouis metuendi laedere gentem:

An

An præceps de rupe cadens, laudabile corpus
Liquisti in densis syluis sine honore sepulchri?
Ipsa sed omne nemus scrutans syluasq; profundas,
Arboreas plantas lustraui lumine ad vsque
Frondes, nec tamen inueni tua corpora mater.
Vnde ego nec syluas culpo, nec lustra ferarum:
Vnda nec Eurotæ currens sedata, natantem,
Submersamq; vadis, fundum te traxit ad imum.
Naiades in fluuijs, in salsis æquoris vndis
Nereides viuunt, nec mergunt gurgite Nymphas.
Quid faciam? quid mæsta querar? quo tendere pergam?
Quem vertam lapidem? quæ prima, aut vltima tentem?
Vos saltem Superi, si qua est clementia cęlo,
Dicite, mater vbi latitat: quibus exulat oris:
Non ego virgo licet, verear Symplegades alno
Instabiles sulcare leui, modo ducere viuam
Te genitrix possim, & redeunti reddere patri.
Quando ego chara parens manibus te amplectar amicis?
Quando tuo fruar alloquio? quando ora tuebor?
Hæc vbi cum gemitu fudit, defessa reclinans
Ceruicem, segni sopiuit lumina somno.
Qui comes est Mortis,, fraterq; simillimus illi,
Namq; eodem genitus partu, facta omnia fratris
Maioris natu communia semper adæquat.
Vnde superciliis plerunque dolentibus, ipsæ
Quum lugent Nymphæ, laxant sua membra quiete.
Illa quidem somno tunc sic oppressa, putabat
Se matrem spectare suam: percussa stupore,
Et lacrymis confecta licet, sic ore locuta est.
Extra heri fugiens ædes tu me ipsa gementem,
Et patris in lecto deuinctam membra sopore,
Liquisti dulcis genitrix. ego sola relicta
Quem non conscendi montem? quod littus omisi?
Quæ non tranaui torrentia flumina? sic ne
Ad Veneris genitrix properabas vincla? querenti
Tunc illi contra respondit talia mater.
Filia ne plora, nec cum mœrore parentem
Immerito fatis patientem talia Diuûm,
Quære tuam in fluuio, aut sylua: Vir perfidus ille,

Qui nostras heri venit Paris hospes ad ædes,
Me rapuit, secumq́; tulit cum classe per æquor.
Hæc Helene. Hermione surgens tristata cubili,
Proripuit sese thalamo, circum omnia lustrans,
Atque iterans, mea mater vbi es ? quo mater abisti
Me sine ? siste gradum, natamq́; amplectere mater.
Ast vbi non vidit lacrymanti lumine matrem,
Mœsta, magis tristeis iactabat ad astra querelas.
Aeriæ volueres, genus aeris, aera pennis
Findite, & Atridæ Cretensia ad arua profecto
Dicite, quod quidam veniens Lacedęmona prædo,
Ornamenta domus nostræ prædatus abiuit,
Vxoremq́; suam tulit altę ad mœnia Troię.
Hæc auibus mandata dabat portanda parenti,
Et matrem quærens, errabat nata per ædes.
Ille per Aeolias fauces, Ciconumq́; per vrbes
Interea inuexit Troiana ad littora sponsam
Sponsus Alexander. iacto super aera velo,
Cassandra aspiciens adduci ad Pergama prędam,
Prædam quam repetent armato milite Graij,
Antiquum Priami iurati euertere regnum,
Sæpe comam vellens, tundebat pectora pugnis.
Troia sed æratas reserans magno agmine portas,
Cum lęto populo, & toto plaudente senatu,
Excidij accepit Paridem, causamq́; malorum.

FINIS.